



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XX. Vtrùm corpus & anima in Christo sint vnita? S. Thom. art. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

vnionem, per quam Verbum in humanitate subsistit.

§. 6. Eam compositionem esse immediatè ad subsistentiam, probò: quia vnio est compositio, vt ostendi vol. 1. disp. 5. & 6. Physic. sed vnio est immediatè ad subsistentiam, & non inter naturas: ergo.

§. 7. Dico Secundò: Natura diuina non est pars personæ Christi: quia pars est ens imperfectum, quod vnione perficitur, maximè de parte heterogenea: imò & partes continui perficiuntur vnione, quamuis sine illa sunt etiam perfectæ per indiuisibile terminatiuum; at continuatione fiunt maiora corpora, & se melius tuentur: natura autem diuina nullo eget: ergo non est pars. Ob quod S. Bernard. Durand. Caietan. & in parte Lorca censent personam Christi non esse compositam re ipsa, & propriè, sed cum addito, & per metaphoram.

§. 8. Dico Tertio: Filius Dei non potest dici compositus, nec Verbum: quia licet Christus sit Ver-

bum, & Filius Dei re ipsa; modus autem est diuersus: quia Christus significat formaliter duas naturas cum supposito, vel suppositum vt in duabus naturis: Filius autem & Verbum ea non significant formaliter. Vnde persona Christi semper fuit Filius Dei, & Verbum, at Verbum non semper fuit Christus: quia non fuit semper persona humana, nec homo. cur autem non dicatur Christus incepisse esse, dicam. quia aliud est Christum incepere esse; aliud est Verbum incepere esse Christum: quia Christus in prima propositione supponitur pro supposito, quod numquam incepit esse: at incepere esse Christum supponitur Christus vt terminans naturam, sub qua ratione incepit esse. Plura nõ multum difficilia vide apud auctores adductos §. 2. Aduerte, compositionem actiuam esse generationem Christi, vt est homo; formalem verò esse vnionem hypostaticam: actiua quidem, quia est ratio, per quam agens componit Christi personam; formalis verò, quia vnio seipsa reddit compositam.

DISPUTATIO XX.

Vtrum corpus & anima in Christo sint vnita?

S. Thomas art. 5.

§. 1.



Hec disputatio secutura erat aliam de assumptione animæ rationalis: prius enim statuenda erat ea assumptio quam disquirenda vnio; sed morem gerò methodo Thomisticæ, acturus de assumptione animæ disp. 46. cum S. Thom. q. 5. art. 3. De prioritare agam disp. 46. sect. 3. cum S. Thoma q. 6. art. 4. Hic autem pono vnitam animam Verbo: atque disquiro, vtrum corpus & animus vnita Verbo, sint etiam mutuo vnita?

§. 2. Possent igitur hæretici fateri animam vnitam Verbo, non tamen corpori: Primum, quia essent in Christo duæ personæ: quia ex anima rationali & carne vnus est homo, teste Athan. ergo esset vnum suppositum humanum ex solis corpore, & animo: item ex natura diuina & hypostasi esset aliqua persona: ergo recideretur in errorem Nestorij. Secundò, quia Verbum est corpori loco animæ: ergo non est opus vt vniantur corpus & anima. Hoc secundum argumentum latè discutiam.

contra Apollinarem disp. 45. sect. 1. Primum nihil valet: quia persona præter corpus & animam addit aliquid ab vtroque distinctum pertinens ad vnionem formalem personæ; hoc autem est personalitas, seu ratio suppositi: sine quo non possunt esse in Christo duæ personæ, sed natura humana vnita adiungitur præexistenti personæ Verbi: quæ ex persona non humana, redditur humana ea vnione.

§. 3. Esse autem vnita immediatè corpus & animam, rectè probat S. Thomas. tum quia Ecclesia canit, *animatum corpus meum*: tum quia Deus suscepit hominem, id est, in abstracto humanitatem: humanitas autem non est sine vnione: pone corpus & animam Petri sine distantia loci, & sine vnione, nec erit Petrus, nec homo. Tertio, probatur ex actionibus exercitis à Christo in corpore, incrementum, dolor, mors, tristitia, & scientia experimentalis. Neque hic expedit mora.

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

R DISP.